

DISA



22

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**MEDIIS**  
**CONTAGII EPIDEMICI**  
**ORTVM, COMMVNICATIONEM**  
ET  
**ACTIONEM IN CORPVS PROHIBENTIBVS**

---

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE MEDICA  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

**DN. IOANNE IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESS. PVBL.  
ORDINAR. FACVLT. MEDIC. SENIORE  
ALVMNOR. REGIOR. EPHORO PRACTICO ORPHANOTROPHEI  
HALENSIS FELICISSIMO

PATRONO AD CINERES VSQVE PIE DEVENERANDO

**PRO GRADV DOCTORIS**

OMNIBVSQVE IN MEDICINA PRIVILEGIIS LEGITIME OBTINENDIS

AD D. V. OCTOBRIS ANNO MDCCCLVIII.

H. L. Q. C.

PLACIDO EXAMINI SVBMITTIT

**IOANNES WILHELMVS VRSINV**

HALENSIS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS HILLIGERIANIS.

DISSERTATIO IN VACARVITIS MEDICIS  
DE  
MEDICIS  
CONTAGII EPIDEMICI  
ORTVM COMMUNICATIONEM  
ET  
ACTIONEM IN CORPVS PROHIBITIONES  

---

  
SAB. AVSPICIOU. SVAMIN NAMINIS  
CONSTITUENTE CIVITATIS FACIATATE MEDICIS  
PRÆSIDIE  
ILLUSTRI MECENATIS SEMPER EXTRAHENDA  
DI IOANNI LANCERIO  
M. AE. DOCTORIS THERAPEUTAE PROFESSORIS  
CIVINIS LACVATIS MEDICO SECTORIS  
AEV. OR. DECIMI. FESTO. HVC TITUS DEDICANTIONIS  
HABENS ETIQUETAS  
PATRONO AD CINTURIS AROE. HE. DR. LUTHERO  
PRO GRADA DOCTORIS  
OMNIBUS GESTIS IN MEDICINA PRAEHALICIS PRACTICIS QUINTUS  
AD D. M. DOCTORIS ANNA MAGDALINI  
H. J. O.  
LACVICO LACVATI ET ALMELI  
IOANNES WILHELMUS ARSINUS  
HABENS

HABENS MAGDEBVRGICAS  
LUTHERIANAS

PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO  
DOMINO  
PETRO  
S. R. I. LIBERO BARONI  
DE HOHENTHAL

SACRAE REGIAE MAESTATIS POLONIAE ET  
ELECTORIS SAXONIAE SVPREMO PRAEFECTO  
CIRCVLI ELECTORALIS  
HEREDITARIO IN FALCKENBERG ET SCHMERCKENDORE  
RELIQVA

MAECENATI ET PATRONO  
MAXIMO

PERILLVSTRIS FAMILIAE  
AD QVEM

TAMQVAM AD BENIGNISSIMVM AMPLIFICATOREM  
SVVM SE RECIPIT

HOC QVALECVNQVE DEVOTIONIS DOCUMENTVM STRVIT  
ARDENTISSIMAS PRECES PRO OMNIGENA FELICITATE

GENEROSISSIMI MVLTORVM DERELICTORVM  
TVTORIS

AC

PRO PERPETVA SALVTE

## PERILLVSTRIS FAMILIAE

FVNDET

DEVOTVS CVLTOR.

IO. WILHELMVS VRSINVS.

DISSEMINATIO IN ALIS MEDICIS  
EXPLICATIUS I. DE CONTAGII DIFFUSIONE

## SECTIO I. DE CONTAGII EPIDEMICI INDOLE.

### §. I.

**A**b HIPPOCRATE a) ad nostra usque tempora multum de *contagiosis* b) disputatum fuit, et etiamnum haec materia ad vexationes Medicorum merito refertur. Evidem in latissimo sensu Auctores consentiunt, et *contagio* subaudiunt omne id, quod ex uno corpore in alterum transeundo statum praeter naturalem producit; verum enim vero in diversis illius speciebus ponendis maximopere discrepant, ex quo dissensu non paucae confusiones ortum duxerunt.

### §. II.

Per amplissimam hanc notionem non exiguis morborum contagiosorum existit numerus, de quo sane nemo feliciter differet, qui non in distinguendo exacte procedit. Videtur hinc imprimis quam maxime necessarium, divisionem esse ponendam inter contagium benignum seu sporadicum et malignum seu epidemiu-

A cum

a) Varias antiquorum sententias de contagio collectas legimus in ISBRANDI de DIEMERBROECK tratt. de Peſte Lib. I. cap. X. de contagio.

b) Contagia Graeci μαστιχα, νοτεράς απονείτεις, ἀποβόλαις, ac σπηρακται, Latini vero Morbidas expirations, vel Morbosu effluvia, vel inquinamenta et contagii seminaria appellant.

2 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

cum c). Ex hac enim omnes reliquae contagii differentiae sine difficultate fluunt.

§. III.

Quoties in morbis deprehendimus, materias eorum peccantes, ex ipsis corporis humoribus productas, ad eum subtilitatis gradum peruenisse, vt in alia corpora transfire et cum illis similem statum praeternaturalem communicare valeant; toties praedicamus eos esse contagiosos. Hanc subtilisationis indolem plurimas d) tam mali-

c) Cavendum est, ne ideam morbi benigni ac malignum notione contagii benigni et maligni confundamus, et id circa suadeo, vt in conuenientia harum ideo cum libenter vocabulis contagium *sporadicum* et *epidemicum* utamur. Sedulo hi conceptus distingui debent: dantur enim morbi benigni et maligni ab omni contagio liberi; sic bene docet COSCHWITZIVS in Part. II. Sect. I. cap. IX. edit. m. pag. 225. febres malignas non semper esse contagio-  
fas (utpote vulgo creditur) dum inquit: „febri certo  
„individuo vni aut alteri, maligna ac deleteria esse potest,  
„ob specialem huius individui dispositionem morbosam  
„in corpore ante accessum febris praeexistente, et ne-  
„que per contagium allata, neque per contagium ul-  
„terius propagata obseruatur. Existunt porro et morbi  
alias *benigni*, qui quandoquidem *epidemic*e grassantur, e.  
g. dysenteria, febris tertiana, et *maligni* iudicati, qui  
*sporadicum* solum contagium ostendunt, e.g. morbilli, va-  
riolae. Vnde satis liquet has notiones probe esse distin-  
guendas. Confr. SCHELHAMERI tractat. de febribus  
pag. 200.

d) In omnibus illis morbis contagium generari potest, in quibus materia peccans ad exhalationem apta deprehen-  
ditur

malignorum, quam benignorum morborum materias peccantes inire posse, nemo negabit, qui perpendit, resolutionis gradus solummodo ab augmento motuum vitalium et inde dependente partium attritu oriri. Supposita igitur motuum sufficiente vehementia et continuatione fieri omnino potest, ut humores depravati et in benignis et in malignis morbis ad eam subtilem indolem exaltari per eos possint, qua in alia transeundi capaces evadant. *Omnes itaque particulae, in corpore animali natae, et in eum gradum depravatae ac volatilitatue, ut ad alia quoque subiecta migrare valeant, per experientiam et rationem nomine contagii benigni veniunt.*

## §. IV.

Per experientiam nempe certiores reddimur, multos morbos sporadicos interdum esse contagiosos, qui alias ab omni vi migrandi deprehenduntur alieni; et sic in vicem versam aliquos, contra vulgarem obseruationem, contagio esse destitutos. Quod ultimum etiam de ipsis sporadicis malignis febribus valet. Quam differentem vnius eiusdemque morbi indolem si rite consideramus, nulla difficultate apparet, eam varietatem a subiectorum, reliquarumque circumstantiarum diuersa ratione depندere. Pone e. g. febrem acutam catarrhalem inuadere subiectum admodum cholericum et cacoehymia acri vestuta impregnatum; ac inuenies, excreta valdopere fore volatilia et contagiosa. Eundem respice morbum in homine temperamenti placidi et massa humorum dulci-

A 2 gau-

dirur. Qui autem vel a nimia sanguinis copia, vel ab humore viscido, vel ab meatuum vitio dependent, nunquam erunt contagiosi.

## 4 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

gaudente, nulla plane materiae volatilis ac migrantis obseruabis vestigia. Nihil enim peregrini ad has sporadicas accedit febres, ideoque materiale contagii, illis attribuendi, solummodo in mutata materia peccante propria erit quaerendum. Ratio proinde suadet, hocce in corpore natum contagium nomine *benigni* insignire, quatenus nimirum talis materia modo insigniter depravata et alcoholisata, non vero plenarie, instar *maligni* corrupta et sphacelosa exsistit.

## §. V.

Quot itaque dantur humores in corpore humano, et quam diuerse in morbis depravantur, tot fere, suppositis necessariis circumstantiis, generari possunt specificae *contagii benigni* species. Quas singulas longius enarrare nimis a scopo meo discedit; quare me potius ad *contagium malignum* considerandum conuerto. Obscurus quidem huius genius optima quaevis ingenia defatigauit; interim ea, quae bona fide constant, proponam.

## §. VI.

Praeprimis ex effectibus, quos in viuis et mortuis corporibus exserit, statuendum erit, quod sit *subtilissimum miasma praesentissimam et putrefactuam corruptiōnem in exigua quantitate producens*. Summae enim esse tenuitatis, declarat ipsa illius consistentia, halitus, nullis sensibus obvio, diffusa. Vim eius celerrimam putredinosam nonsolum in viuis per anthracum, seu carbunculorum et bubonum repentinam in gangraenam et sphacelum degenerationem cognoscimus, sed praccipue etiam in mortuis, a vi contagii viētis, edocemur, eorum cadavera tam praccipiuti putredine corrupti, vt pleraque

que illorum ne quidem rigorem subeant, qui alias ordinarie sequitur. Huic descriptioni per plura testimonia probatorum practicorum fidem conciliare supersedere possum, vnicum tantummodo suffragium celebrimi obseruatoris allegabo; nimurum STAHLII verba, quae in dissertatione Halae 1707 edita, *de malignitatis, praecipue febrilis, indole Cap. VII. pag. 22. leguntur:*  
 „Efficaciam contagii in his morbis, nonsolum putrefactiuam, sed specialissime longe praesentissimam atque fermentatiuam, praeter ipsum modum contagii, qui proprius fermentatiuus est, monstrant etiam effectus et euentus exanthematum, a tali materia copiosius alicubi collecta prognatorum, quae omnia dubiae atque ardentes suppurationis, aut in gangraenam et sphacelum propendentis corruptionis existunt: quod et Bubones, atque Carbunculi pestilentes et variolae, et copiosae diarrhoeae morbillis veris, tanto magis vero variolis, obtingentes, his iisdem, et petechialibus febribus accedentes aphtae, satis confirmant. Post mortem corpora repentinis, fermentescientibus, spumeſcentibus, in horas praevalescentibus, penitissimis putrefactionibus corrumphi, prae omnibus aliis morbis, etiam in vulgus notum est.

## §. VII.

Deinde de *contagio maligno* omni certitudine affirmare licebit, quod sit *taboles aëris atmosphaerici* e) praecipue clausi. Quod assertum dupli modo facile de-

A 3 mon-

e) Seminarium miasmatis, primitus in aëre existere et generari, multi et magni nominis Medici uno ore continentur; si enim HIPPOCR., GALEN., SCHELHAM., PLEM.

6 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

monstrarē potero. *Primo* fieri non facile potest, vt miasma tantae subtilitatis et tam summae putredinosae naturae in corpore producatur: nam perpetui motus se et excretorii in fluidis partibus hoc non permittunt; dum particulis resolutis non tam longa in massa sanguinea conceditur mora, vt in miasma adeo malignum mutari queant. Attende solidarum partium summam corruptionem, nempe sphacelum, et obseruabis, illum nequaquam per se tale contagium exhibere malignum. Et fane, si exhalationes cadauerum, praetstant infectionem, laborem anatomicum fuscipere nolle. Perpende porro, veritatem esse per experientiam satis confirmatam, quod singuli motus statim in illa parte, quae sphacelo corrupta est, omittantur; hinc conclusio tuto valebit, nullam, absentibus motibus, vltiorem materiae putredinosae dare subtilisationem, ideoque vberiorem miasmatis maligni elaborationem in corpore nostro f) fieri non

PLEMPIVM, SENNERT., DIEMERBR., SYDENH.,  
ZWALDSCHMID., ETMULL., RIVER., I. BOHN., WEDEL., G. E. SCHAPER., WEPFER., LANCISIVM,  
TEICHMEIER., RIVINVM, TH. BARTHOLIN., van der VELDE, FR. HOFFMANN., DOLAEVM, MEIBOM.,  
BOERHAAV., ALBINVM, BAGLIV., HEISTER., BRVNER., CAMERAR., MORTONVM, MALPIGHIVM,  
FALLOPIVM, PECHLINVM, G. DETHARDING.,  
VERDRIES, consulamus. omnes hi solliciti scrutatores  
et obseruatores eandem veritatem testantur.

f) Forsan quispiam ad infringendam meam assertionem prouocabit ad venena nonnullorum animalium. Vtpote quae nonsolum veri veneni naturam aemulantur, sed et alia corpora, cum quibus immediatum habent contactum,

non posse. Cum hac probatione coniungere licet secundam demonstrationem, quam ex notissima experientia haurire oportet, qua scilicet edocemur, nullum contagium malignum sese sporadice ostendere, sed semper epidemice grassari. Nemo enim nescit, contagia maligna eodem tempore plura subiecta in vna civitate vel regione occupare, licet mutuus eis non intercedat contactus. Qui communis in diuersis hominibus effectus de caussa communi testatur. Praeter aërem autem atmosphaericum neque commodior officina, ad miasmatum generandum, excogitare poterit, neque ullum reperiatur vehiculum, quo facilius ad plures simul transferri possit: ergo non dubitandum est, eum esse locum natalem contagii maligni.

## §. VIII.

Ad materialem denique contagii naturam quod attinet, illam quidem in chemicum rigorosum examen vocare non licet, varia tamen argumenta suadent asserere, eam esse *midolis salinae alcalinae volatilis* g). *Salinum*

Quum, contagio adficiunt; similemque febris contagiosae speciem in illis producent. Ast respondeo, me primo non de animalibus in genere, sed de corporibus humana solum affirmare, quod per motum intestinum, in illorum humoribus existente, nunquam materia tantae subtilitatis generari possit. Deinde nondum concedo haec venena effectus miasmatis veri maligni exhibere; non enim memini, me vnuquam legisse morbum epidemicum ab his esse ortum, verum potius notissimum est, ad propagationem talis veneni semper morsum, iustum aliquum contactum immediatum necessario requiri.

g) Conferri meretur dissertatio Praefide Illustri BÜCH-  
NERO

## 8 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

num enim in omni mixtione primario esse supponendum, sincrifeos modus generalis docet. Deinde quoque ex chemia notum est, particulas salinas putrefactas, si libero aëri exponuntur, successive sub radiis solis in *alcalinum volatilem* abire naturam. Cumque porro contagium malignum potissimum ex animalium partibus destructis ortum et primum gradum ducat (quod ex sequentibus apparebit) et de his ex physiologicis principiis cognitum est, quod producta salina ex mixtione animali sint *alcalinae volatiles* indolis, tum verosimiliter concludere licet, miasma epidemicum eiusdem esse naturae. Ipse quoque putrefactionis modus tale productum indicat, quia ille in eo consistit, ut portiones subjecti fermentescens subtile, salino-sulphureae, distrahanter, et in sal volatile conuertantur; quare cum contagium ex particulis putrefactis originem capiat, tum etiam ex hoc fundamento ad indolem eius *alcalino-volatilem* concludere possumus. Denique contagium effectibus suis, quos in corpore humano exserit, semet ipsum prodit tamquam alcalinum putrefactuum: celerrimo enim actu totam massam destruit, et resolutoriam alcalinam corruptionem, quam multa phaenomena testantur, eidem imperrit.

## §. IX.

Ex §is VI. VII. et VIII. nemo non itaque intelligit, me sub termino *contagii maligni* seu *epidemicus* intelligere materialium subtilissimum, salino-alcalino-volatilem, *primario*

NERO Halae 1757. ventilata, de gradibus malignitatis in morbis malignis, in qua Auditor afferit, materiali peccantem in omnibus morbis malignis in sale alcalino volatilem querendam esse.

*rio in aëre natam, et deinde per sphaeloso-fermentescibilem corruptionem in humoribus corporis animalis sese propagantem ac in alia corpora transeuntem.*

## §. X.

Mouetur autem merito quaestio, num contagium malignum in omnibus febribus sit vnum idemque, an vero in singulis diuersum, aliud in peste, aliud in petechiali, aliud in purpura? Ad quam quaestionem respondeo, quod, cum illud ex diuersis corruptis particulis in atmosphaera volantibus, proficiscatur, vero, sit si-millimum, illud pristinae mixtionis aliqualem specialem gerere notam h), licet alcoholisatione admodum sit mutatum. Ipsa differentia saluum volatilium, arte parorum, hoc assertum comprobatur. Sed sicuti haec alcalina

B vnum

b) Specificum pristinae mixtionis contagii inesse characterem, ex eo liquet, quia miasmata partibus animalium, ex quarum destructione in aëre per volatilisationem genita sunt, adeo propria manent, vt tantum ea, quae eiusdem sunt speciei inuadant, aliis vero animalibus diuersae speciei nihil omnino noceant. Nam multorum Autorum, speciatim Clar. IO. HARTM. DEGENERI in tractatu de Dysenteria bilioso-contagiosa, Traiecti ad Rhenum anno 1754. edito testimonis miasma malignum, quod corpora humana inficit, caetera animantia non offendit. Contagium quod boum gregem summa violentia adoritur, equis et aliis bestiis innocuum est, et contra; nec quidem canes, vulpes, aves, de talibus animantibus, recens mortuis, vorantes inde inficiuntur. Et si fidem aliis obseruationibus concedere licet, quibus refertur, quod in summo gradu pestis varia animalia perirent, id potius ab ortu diuersorum miasmatum deducendum esse iudico.

IO DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

vnum eundemque morem ostendunt, ita omne miasma malignum eosdem communes i) in corpore producit effectus; ideoque in therapia quoque non nisi vnicum erit considerandum. Hoc caeteroquin certum est, exanthematum differentem prouentum in hac re plane nihil probare: varietas enim eorum, in contagiosis febris diuersa, non a contagio, sed a propria humorum constitutione et a differente energia, qua expelluntur, dependet. Id quod ex eo patet, quia omnia fere exanthemata, in epidemicis prouenientia, etiam sub schematibus morborum benignorum in conspectum prodeunt.

§. XI.

Postquam subtilissimum miasma cum corpore humano communicatum est, agit illud, dum vel sanguini in vasis admiscetur, vel humoris separato affunditur, et labem suam cum omnibus partibus fluidis latius communicat: per motum nempe fermentatiuo - putredinosum humores, praesertim depravatos, deinde etiam sanos in similem corruptionem sphaceloso - volatilem trahit. Hoc fit ope motus intestini; de quo satis ex chemicis principiis cognitum est, quantum valeat ad mas-  
fam plane permutandam, si specificum quoddam acce-  
dit fermentum. Etsi itaque paragrapho septimo nega-  
uerim, quod contagium epidemicum in corpore gene-  
rari possit; quois tamen modo affirmo, similem illius  
materiam propagari posse; requiritur vero semper, vt  
tale fermentatiuum miasma in sanguine prius existat.

Tunc

i) Licit febres contagiosae epidemicae gradu vehementiae  
et ambitus differant, tamen intuitu praedicatorum essen-  
tialium inter se conueniunt, et hoc respectu effectus con-  
tagiorum sunt communes.

Tunc enim erit productum motus intestini specificē et praeternaturaliter determinati. Quem fiendi modum iam a Cel. SYDENHAMO promulgatum inuenio , et cum illius egregia verba meam mentem exprimant, tum illa. huc ponere congruum duco : inquit nimirum in opusculis pag. 313. „Censio ego malignitatem eam „omnem, quae epidemicis competit, particulis calidissi- „mis ac spirituosisimis confistere et determinari. Cen- „seo item, calidas illas et spirituosas particulas assimilan- „lando maxime agere ; cum ex naturae lege quodlibet „principium actiuū sui simile procreare satagat, et quae „ei cunque obſiſtunt, ad propriam indolem inflectere „atque accommodare; ita maligno infectus morbo soci- „um inficit, spirituum ſciſ. emiſſione, qui humores mox „inficiendos ſibi assimilant, et in naturam ſuam perdu- „cunt trahuntye.

## §. XII.

Proprius autem locus miasmati assignari non pot- est; omnes enim totius corporis partes perspirat. Interim quidam auctorum *lympham*, post ſecreſionem refluam, tamquam primarium illius receptaculum agnoscunt; neque negandum eſt, tria argumenta huic opinioni fauere. Primo enim partes heterogeneae lymphae gelatinæ facile adhaerent; dcinde illa, vtpote fluidiffima materia, ad volatilem corruptionem per quam apta deprehenditur; denique motus lymphæ progressiūs admodum eſt tardus, quare liberior illius intestinus mo- tus fermentatiuum miasma ſine diſſicultate ſequitur. Conf. FRIDERICVS HOFFMANNVS in fundamenta pa- tholog. gen. Sect. II. cap. III. §. X. XI. et PETRVS GERI- CKE in diſſertatione de contagis. Halae 1728. edit. Et

## 12 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

cum hoc propagandi modo contagii quantitas, ut vt exigua, celeriter augeatur, tum nullam omnino meretur admirationem, contagiosas febres breui tempore longe lateque grassari. Quisque enim aegrotantium per paucam contagii quantitatem inquinatus, magnam deinde copiam materiae contagiose, assimilatione natae, exhalat, et aërem particulis lethiferis implet.

## §. XIII.

Quae autem deinde mutationes in corporibus infectis vterius proueniant, eas longius deducere ad scopum meum non pertinet, dum de mediis, quibus novam contagii praeuenire possimus, scribere animus est. Cui vero placet, succinctam et doctam febrium contagiosarum historiam legere, ille adeat dissertationem STAHLIANAM §. Vito citatam, et obseruabit descriptionem, Cap. IV. datam, ex omni parte cum genio febrium, nostro tempore grassantium, convenientem. Vnicum tantummodo de genio contagii adhuc notandum esse iudico, illud nimurum tacita quasi vi, et saepe per aliquod tempus vix aduertenda, agere in corpora humana, ut haud raro parca febris signa adpareant. Cuius rei rationem verbis SYDENHAMI l. c. pag. 315. exhibeo: „particulas *vooīqas* ita supra modum subtilem „esse, vt aurae ad instar sanguinem peruadant, ac fide- „ratis quasi eius spiritibus, ne in ebullitionem quidem „illum attollant. Symptomata febrilia ira parum con- „spicua redduntur, nonnunquam a confusione in humo- „ribus excitata a particulis inimicis eorum in gremio „conclusis; vnde natura quasi oppressa non potis est, „symptomata illa magis regularia exercere, quae morbo „competunt, at anomala sunt *Qavōquea* fere omnia ob

3,616-

*„οἰκονομίας* penitus euersam dirutamque. Sufficiant haec de contagii indole, pergo nunc ad inquirenda media, quibus illius noxam praeueniendo auertere debeamus.

## SECTIO II.

## DE

MEDIIS, QVIBVS ORTVS ET COMMV-  
NICATIO CONTAGII EPIDEMICI IMPE-  
DIRI QVEANT.

## §. XIV.

Cum hac sectione de dupli obiecto agendum sit, primum quidem de sufflaminando *ortu*, deinde vero de modo *communicationem euitandi*, tum praemonere necesse erit, vtrumque momentum ex parte tantum obtineri posse.

## §. XV.

Ad *ortum* itaque contagii quod attinet, in praecedentibus paginis asserui, illud esse sobolem aëris, verum non aër solum in iudicium est vocandus, sed potius in causam antecedenterem istius inquinamenti erit inequistigandum; quatenus nimirum sua excedit qualitate et peregrinis plane particulis putrescentibus ac foetidis referuntur est. Quouis omnino anni tempore aër effluviorum accessu magis vel minus impurus redditur k). Variat autem

B 3

k) Si integrum consideramus globum terraquo-aëreum facile patet, quod ex amplissima eius superficie singulis momentis tot et tam varia in atmosphaeram euehantur efflu-

14 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

autem impuritas illius pro inquinamenti copia ac indole; quemadmodum solis calor ad fermentandum suum confert symbolum. Ultimum contingit prout radii solares vel directe magis vel oblique corpora afficiunt sublunaria. Dumque aér, utpote corpus fluidum, salia liquida facit, ac eorum ope quavis fere corpora sensim sensimque resoluit, et cum illis motum intestinum subit, tum nullum dubium est, eum, cum particulis putrescentibus mixtum, vbiorem et summe subtilem inire corruptionem.

§. XVI.

Requiritur igitur ad ortum contagii, primum ut magna effluuiorum putrescentium copia adsit, deinde ut haec in loco quodam magis clauso l) collecta sint, et

tertio

effluvia, vt, si haec in illa remanerent, et quotidie non incrementis augerentur, haud ira longo temporis spatio integra atmosphaera foret spissa et ad respirationem inepta, immo fōrdida et pestifera. Testem habemus experientiam: quodsi enim tempore aestiuo tantummodo per mensem, quod aliquando contingit, atmosphaera, certae regioni incumbens, feruentibus solis radiis quotidie vrgeatur, neque, eo temporis interuallo accedant pluiae, ventus, tonitru, nebulae, ros, tum aér euadit turbidus. In vulgus notum est, quam serio homines tunc pluuias exoptent, ut earum ope heterogenea salino-oleosa, in aëre nocitura, terram reddant fructuosam.

I) Quietus aér magis magisque noxia colligit effluvia et ad putredinem adeo proclivis est, ut etiam boni vapores sensim hac ratione corrumpantur; cuius rei experimentum noratu dignum refert IOH. CHRISTOPH. STVRMIVS in collegii curiosi parte II. pag. 7. nimirum orbi-

*terio* vt fluida, inter se inuicem agentia, per calorem solis in motu augeantur. *Copia* inquam effluuiorum necessaria est ad inquinamenti generationem, quia paucior pars nimis diffunditur in fluido aëreo, vt intimor corruptio intestina fieri nequeat. *Collecta* esse debet in vno tractu aëris, qui per praesidia quaedam localia ex parte tantum claudatur, ne ventorum beneficio particulae corruptentes dissipentur, aërque renouetur. Patet etiam *agitationem* fortiorem per *calorem* requiri, quia quo magis aër incalescit, eo maioris fermentationis idonea exsilit cauſa, et hoc modo non solum vehiculum, sed et effluuiorum noxiorum euadit genitrix. His subsidiis praesentibus corruptio volatilis illico initium subit.

## §. XVII.

orbiculo ligneo imposuit frustulum panis recentis, butyri libum, oculum bubulum recens exsectum, narcissi lutei florem plenum et hyacinthi flosculos, hoc toto apparatu super duo tigilla transuersa, inferne cera firmata suspenſo, campanam, plumbo suo onus tam, sub aquas demisit, ultraque occiduum ibidem reliquit. Protractis iterum in lucem istis reculis, vigorem pristinum in singulis integrum reperiit, et nullibi corruptionem, quam in aëre vna concluso obſeruauit. Hic enim foetorem multum contraxerat, ipsi vitro sic impressum, vt post complures abstensiones eum vix exueret. Quem foetorem cum ex oculi putredine ortum primum suspicatus erat, admotis propriis naribus errorem iudicii inuenit, istiusque fedem esse stagnantem tam diu sub campana aërem certissime tandem cognovit. Quantam ergo malignitatem aër attinget, si cum effluviis iam corruptis includitur, dum in hoc experimento tales non praefecti fuerunt.

## §. XVII.

Hinc si ortum contagii, hoc anno migrantis, inquirere animus est, oportet, ut conditiones, paragrapho antecedente prolatas, eruamus. Ex historica relatione eidenter constat, epidemicum morbum, hodie grassantem, initium praeterito anno, semestri aestiuo se fi- niente, in locis, vbi bellum gerebatur, sumississe. Quare sicuti nulla salus bello, ita hanc etiam calamitatem ex iniuriis, quae eum circumstant, deducere sana ratio docet.

## §. XVIII.

Neque difficultas obstat, nexus causarum morbi epidemici cum bello, proh dolor! satis epidemico ostendere, si ea, quae sub Martis exercitiis contingunt, paululum curatius consideramus. Etenim millenni militum cohortes caeterique, qui exercitum ex seruitio et officio sequuntur, magnusque incolarum numerus, pessimae exponitur diaetae m): omnibus aëris iniuriis dies no- ñesque obnoxii sunt. Cibis vescuntur plerumque crudis et quandoquidem corruptis. Potu non raro insalubri ac foetido vtuntur. Multum in motu corporis exceditur, requiesque datur admodum dura. Cynosura somni et vigiliarum plane nulla attenditur, perpetuo pathematibus animae, praecipue periculi discrimine, agitantur, excernendi humores impediuntur. Verbo: quae corpora possunt reddere morbosa, quotidie fere committuntur: hinc non pauci afficiuntur morbis; licet horum hominum natura robusta numerum aegrotanti- um

m) De misera militum diaeta confer. TOBIAS COBER in *Observation. medic. castris. Helmstad. anno 1635. editis*, cui utpote Medico per septennium in castris versato, de his rebus loquenti, fides non est deroganda.

um maiorem imminuat. Interim numerus in dies auctus requirit, vt *nosocomia* caestrenia in vsum trahantur, quo ipso proxima caussa n<sup>o</sup>) ad contagium generandum ponitur. Hac enim ratione in aëre clauso tot variorum morbosorum vapores, qui vel putrescent, vel ad putredinem sunt apti, confluunt, motu intestino in se inuicem agunt, caloreque aestiuo in actione promouentur et sic magis magisque in putredinem volatilem ruunt: sic per infelictem concursum conditionum, ad *ortum* miasmati valentium, sensim producitur malignitas, quae vehiculo aereo vberius propagatur et epidemica euadit. Ex morbis igitur benignis et sporadicis generantur maligni epidemicci. Hoc quoque modo praeiens contagium o) praesertim natum est, quod inde sine omni fere contradictione probatur, quia omnium primo in nosodochiis bellicis tyrannidem suam exercuit, sicuti historiae relationes fidem faciunt; deinde vero per varios modos in multas regiones propagatum est.

## §. XIX.

Magnopere itaque optandum esset, vt *ortus* illius impeditri posset. Nosocomia interim platie auferri ne-

C que-

- n) Nosodochia bellica prae aliis locis miasmati producendo favere, ex eo eluet, quod omni adhibita opera, obtineri non possit exoptanda et necessaria aegrotantium separatio, quae in primis impeditur, si post magnam cladem ingens copia accumulatur.
- o) Quod in antecedente sectione de contagii maligni natura salino-alcalina in genere *verofimiliter* affirmauit, id de miasmate nostris diebus ambiente *positiue* statuo, quia hoc ex mixtione animali natum est, de qua ex chemia probari potest, quod illius producta volatilia sint alcalinae indolis.

queunt; nequè effluvia morbosa et solis calorem prohibere valemus. Ad aërem autem paulisper mutandum ventus artificialis naturali erit substituendus; scilicet per frequentes suffitus et purioris aëris admissionem, habito tamen respectu ad aegrotos, refrigerationem minus tolerantes.

### §. XX.

Variis autem modis hoc fieri potest. Simplicissima via haec est, quando in eodem conclaui duo admittuntur foramina, e regione fibi opposita, vnum in inferiore, alterum in superiore parte duorum parietum. Iuuatur aëris ventilatio igne flammante aut carbonibus ardentibus, modo auertatur fumus, et euitentur vapores noxiis carbonum. Hinc caminus est machina ventilaria, non tamen vbiuis applicanda; quare eius loco commodiores sunt fornaces nostrae, in ipso conclaui apertae, vt intus lignis et igne instrui queant. Ignis enim vehiculum suum, aërem ex ipso conclaui accipit, eumque cum fumo expellit, qua ratione continuo recens aér per rimas ianuarum et fenestrarum affluere debet p). Tempore aestiuo ne fornax calefacta molesta sit incolis, adhiberi potest infundibulum inuersum tubo pra-

p) Huic fundamento quoque innititur instrumentum *Suttonianum*, ab auctore SAM VELLE SUTTON 1757. exanimi subiectum et societati Anglicanae propositum, postea in scripto, *An Historical Account of a new method for extraction the foul air of ships* explicatum. Confer. *Hamburgische Magazin IX. Band XI. Stück pag. 219.* Egregie haec ignis indoles est applicata in metalli fodina quadam Herciniaie superioris. Vid. *BRESLAVISCHE SAMLVNGEN anno 1719. September. Claff. V.*

praeditum, qui per superiorem fenestrae partem extra conclave ductus in atmosphaera desinit; huic enim si carbones sed minime vaporem noxiū spargentes, in foculo supponantur, renouatio aëris facilis negotio obtinebitur. Ab aliquot annis celebratus est in Anglia, Suecia et Gallia sic dictus VENTILATOR q), instrumentum quo expulsio vaporum ex locis angustioribus clausis felicissime instituitur. Minime effectu suo caruit hoc inuentum in carceribus, nauibus maioribus, nosocomiis, fodinisque subterraneis, homines conseruando. No-

C 2 strum

q) Follis applicationem ad renouandam aërem iam olim metallifosforibus in Germania minime ignotam fuisse, docent praeter alios auctores GEORGIVS AGRICOLA in libris suis de re metallica, LÖHNEIS Bericht von Bergwerken, ROESSEL im Bergbau-Spiegel. Hoc inuentum peculiari modo renouauit et ad vberrimam applicacionem perduxit in Anglia STEPHANVS HALES ex statica Vegetabilium et Animalium celebratissimus, in Suecia MARTINVS TRIEWALD. Qui de his plura desiderat, eum remitto ad tractatum HAMBVRGISCHE MAGAZIN II. Band I. Stück pag. 25. IX. Band I. Stück pag. 92. 95. XIV. Band 4. Stück pag. 437. et der SCHWE-DISCHEN ACADEMIE ABHANDLUNGEN d. a. 1744. pag. 254. Neque eam ventilatoris speciem, die WINDLADE, quae diaphragmate valuulis instruēto, ad instar emboli in antlia mobilis, hinc inde agitando praedita est, metallifodinarum nostrarum architectos ignorasse, rerum testimonia adsunt, licet, quod sciam, nullum huius rei documentum publici iuris sit factum. Quid quod ipsam antliam aquatricam ita applicare non runt metallifosores, vt loco aquae aërem ex profundis ad superiora deducat, et eo ipso aëris renouationem promoueat.

strum non est peculiares huius machinae explicare stru-  
cturas: indicare sufficit, fundamentum eius latere in  
conditione follis, qui non eodem tubulo, quo aér expel-  
latur, eundem quoque haurit, verum diaphragmate et  
peculiari valuula pro admittendo aëre instructus est.  
Machina ad hunc modum constructa in ipso conclavi ac  
extra illud poni et orificio vel exitu instrui potest, vt vel  
aërem internum hauriat, expellatque, et eo ipso recenti  
illabenti locus relinquatur, vel externum puriorum, im-  
purioris successiue expellendi caussa, impellat. Omnes  
sane sinceri Medici optabunt, vt hoc instrumentum fiat  
crebrioris vsus.

## §. XXI.

Quamquam vero affirmauerim, contagium ex no-  
fodochiis potissimum ad nos aliosque esse profectum;  
aliae tamen adhuc obueniunt in bello circumstantiae,  
quae ad miasma citius inchoandum et deterius reddendu-  
m multum contribuunt. Quorsum pertinet primum  
castrorum metatio in loco insalubri circa voragini, spe-  
cies aut paludes. SENNERTVS enim *Part. II. Lib. III.*  
*cap. 12. pag. 273.* inquit: „notum est ex voraginibus et  
„specubus aut paludibus venenatos vapores exhalarer-  
„atque aéri permisceri, qui demum aéri permixti sube-  
„unt corruptionem. Deinde hic in censum venit positi-  
„o tentiorum in regione vallestri, vbi montes, syluae,  
„pagi et ciuitates ventorum accessum et aëris renouatio-  
„nem impediunt, ideoque hominum effluvia incarcerant.  
Non nihil porro ad inquinamenti ortum facit, si talia loca  
non quotidie ab impuritatibus et fodiibus purgantur r).

Ac

r) Hoc momentum a ducibus hodie sollicite curatur, et  
prae-

Ac tandem, dum nimis diu castra in vno loco posita manent. Haec singula itaque euitanda erunt, si ortum contagii impedire studemus. Quando vero belli ratio longiorem castrorum in loco incommodo moram requirit; tunc aëris renouatio per fulmina pulueris pyrii, opmentorum maiorum, frequenter erit instituenda.

## §. XXII.

Multum quoque ad ortum contagii exhalationes mortuorum contribuere posse, res est apud omnes notissima. Praeprimis tamen effluvia cadaverum putridorum, morbo contagioso extinctorum sunt perniciosa. Mox quidem post mortem non adeo perspirant, (vnde a nonnullis s) minus contagiosa praedicata sunt), sed paullo post, dum miasma illis insitum omnia destruit, plenariam ineunt resolutionem contagiosam. Etiam experientia comprobat, febres contagiosas frequentius oriri post clades et caedes, si corpora occisa, vel insepulta maneant, vel non satis profunde sepeliantur, vel sepul-

C 3

chra

praeterita etiam aetate obseruatum est. Ita apud Turcas, oculato teste BVS BEQVIO, Legat. Turcic. Epist. III. pag. 250. in castris summa mundities, nulla sterquilinia, nihil quod oculos aut nares offendat. Quidquid est huiusmodi, aut desodiunt, aut procul a corpore submontent. Et Agamemnon Rex, peste ad Troiam grassante, exercitum lustrauit, aqua omnibus ablutis, castrorumque fordibus in mare proiectis, ut canit HOMERVS Iliad. L. I.

§) Confer. SANCTORIVS in medicina statica Scđ. I. §. 126. FRID. HOFFMANNVS in fundament. patholog. gen. Scđ. II. cap. III. §. 12. et FORESTVS corpora mortua ex peste dissecuit sine aliquo damno, quia mortuo animali omne perire venenum iudicavit.

## 22 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

chra non sufficiente modo contingantur, vel etiam antiqua minus caute aperiantur. Quamquam vero talia cadauera non exhalent ipsum contagium, copiam tamen particularum ad producendum miasma aptissimarum cum aere communicant. Et eiusmodi perniciosas deleteriasque ~~atroglobas~~ prae aliis animantibus cadauera humana, teste GEORG. AGRICOLA *Lib. I de peste pag. 14.* emittunt, quae quia cum viuorum symbolizant mixtione, periculosiores et infestiores generi humano censendae sunt, si nimirum in aere per calorem in miasma malignum mutantur. Ad haec corroboranda cumulum testimoniorum ex historia medica adducere possem t); sed non opus erit, quia nemo facile de veritate horum assertorum dubitat.

## §. XXIII.

An et quantum haec mortuorum effluvia ad morbos contagiosos, qui hodie grassantur, contribuerunt? fateor me huc usque nihil relatum legisse ac audiuisse, ex quo aliquid certi respondere valerem. Faxit diuina clementia, ut et in posterum nulla huius noxae apparent vestigia, quod eo maiori admiratione dignum erit, quo certius est numerum breui tempore occisorum ad ingentem omnino accedere eopiam. Interim superfluum fore iudico, si cautelas, quae circa sepulturam mortuorum obseruandae sunt, pluribus explicarem, dum ybique prolixius descriptae leguntur.

## §. XXIV.

t) Qui autem talia testimonia legere cupit, adeat i o H. CHRISTIAN. EHRLICHII tract. physic. medicum, *Mors ex sepnchris*, nominatum, Halae 1729. editum.

## §. XXIV.

Hoc vnicum vero ad sepulturam pertinens attin-  
gere licebit: pluribus nimirum saeculis consuetudine  
confirmatum deprehenditur, vt sepulchra *calce vina*,  
contegantur: sed hoc dogma aliquam torquere apori-  
am mihi videtur. Nam vel solam calcem viuam, vel  
cum arena commixtam, ad hocce negotium sumunt:  
si prius eligitur, nullum plane vsum inde sperandum  
video, pluuiia enim et aēr humidus calcem, licet antea  
aqua extinctam, breui tempore soluunt, quia sepulchra,  
quae militibus, in pugna occisis, assignantur, his fluidis  
exposita sunt; si posterius instituitur, concedo mas-  
sam, ex arena et calce mixtam, exhibere quidem per  
aliquot tempus tegumentum, duritiem lapideam refe-  
rens, verum hac ratione effluvia tantummodo incarce-  
rantur et demum magis corrupta prorumpunt. Quan-  
do autem quispiam ad sal calcis, quod sub effervescentia  
illius cum aqua generatur, prouocare vellet, illi per-  
pendendum commando, quod salinum sub vulgari cal-  
cis extinctione maxima ex parte exhalet. Sicuti D.N.  
PRAESES in Chemia Tom. II. Tabul. LXXI. obseruan-  
dum suadet: *mirandum est*, inquit, *phenomenum*, quod  
*salinae calcis partes*, quae in aqua limpidae deliquescent,  
tantam illius copiam suscipiant, ut in idolem ante fixam  
amittant, et iam volatillem ostendant: nam cum aqua in  
auras dissipantur, nullo sui vestigio relieto. Itaque pri-  
marium quod sepulchris immittitur, est terra alcalinae  
naturae, quae sane corruptionem alcalino-volatilem in-  
fringere nequit. Ait hoc ambabus largior manibus, cal-  
cem celeriorem corporis destructionem producere; quo  
tamen ipso salium volatilium generatio non impeditur,  
sed

sed magis promouetur. Satis enim chemicis experimentis notum est, calcem quidem sulphureas partes imbibere, alcalica contra caustica et volatilia vrinosa reddere acriora, abripiendo yltimis substantiam oleosam. Quando sal ammoniacum cum calce tractatur, obtinetur genuinum sal alcali, et oleum animale feliciter per calcem rectificatur ac multo magis purum exsistit. Neque effectus aquae calcis in sphacelo separando aliquid probat: hic enim ex sale caustico calcis et minus ex terra alcalina proficiuntur. Componatur vero haec lis judice; nos veneramur experientiam, sed cauemus, ne pro illa praetudicium auctoritatis ventiletur. Interim certius et felicius obtinebitur finis, si foueis, mortuis destinatis, iniicitur terra aluminosa, vitriolica et carbonaria; praeципue lithanthracum puluis; horum enim corporum acidus plus ad alcalinam corruptionem infringendam valebunt, quam parua salis, ex calce prodeuntis, quantitas.

## §. XXV.

Progredior ad alterum huius sectionis momentum, quod *communicationem* contagii respicit. Et cum illud vehiculo aereo longe lateque fertur, quilibet omnino qui in aere infecto viuit *communicationem* est expositus; praecipue tamen isti, qui proximi cum eiusmodi aerogrotantibus habent commercium. Plurimum in hac re tribuendum est fato diuino; alii enim omni studio evitacionem *communicationis* quaerunt ac nihilo secus inficiuntur; alii vero huius curae insci viuentes, feliciter praeseruantur. Media interim via hoc quoque respectu optima erit; nam neque temere neque timide viuendum esse puto.

## §. XXVI.

## §. XXVI.

Prolixius hic agere possem de fugiendis omnibus illis, quae ad retinendam et fouendam luem contagiosam apta sunt, vt gossypio, cannabi, chartaceis, sericis, linteis, lana, plumis, cunctis pellium generibus, nec non oleosis sebaceis; sed multum laboris hae cautelae impo-  
nunt et vix obseruari possunt, quia merces per tot manus transeunt, vt saepius exploratu difficile sit, ex qua regione adlatae fuerint. Praesertim etiam legislatores Medici communicationem per cibos potumque metu-  
unt, et strenuas hinc inde inquisitiones instituendas inculcant. Neque quispiam negabit, aërem et contagium cum saliuia alimentisque ad humores deferri, libenter potius, praeunte HIPPOCRATE id concedet; interea mouetur dubium, an fieri possit, vt semper sufficientia signa adsint, sana alimenta a contagiosis discernere. Quando circumstantiae iustum suspicionem indicant, tunc eiusmodi victimum omnino euitare conuenit.

## §. XXVII.

Vt autem evidentius meam declarem sententiam, iudico, spem certam in haec consilia non esse ponendam. Sicuti enim contagium vehiculo aëreo per plura millaria ad quaelibet loca et conclauia adferri potest, et variae non claudendae dantur viae u), quibus illud corpus no-

D strum

u) Aer enim cum contagio ad sanguinem peruenit non tantum ope alimentorum, saliuae, foraminum in naribus auribusque occurrentium, verum etiam, secundum experientia SWAMMERDAMII in tract. de respiratione et pulmonum usu, R VYSCHII in catal. rario. p. 134. et HALESI Haemastaticks cap. XI. p. 73. in pulmonibus sub

strum ingreditur; ita nemo satis tuto ab lue viuit, etiam si omnes has cautelas exacte obseruet. Quare in hoc discrimine rerum praestantiora consilia ad duo redeunt momenta; *primum* quidem, ut miasmatis correctio per suffimenta quaeratur, *deinde* autem, ut corpus in tali statu conseruetur, ut contagium non inueniat *subiectum*, *ad recipiendum dispositum*: quod ultimum, tamquam praecipuum, sequente sectione ex instituto explicabo.

### §. XXVIII.

Miasmatis igitur correctio obtinetur, quando frequentes quotidie *fumationes* x) instituuntur. Minime autem

sub respiratione cum humoribus nostris connubium init. Immo per poros corporis miasmata penetrare, BOYLE in tentam. cap. III. IV. VI. experimentis ratiociniisque confirmare annititur; idem SANCTORIVS in med. Statica affirmat, et HIPPOCRATES epidem. libr. VI. sect. VI. ad indicium sensuum prouocat, quod *exspirabile* et *inspirabile* sit totum corpus. Quapropter BOERHAAVIVS in aphor. de cogn. et cur. morb. in aph. 1441. scribit, quod generatione, lactatione, concrecatione, salvia, sudore, exhalatione morbi orientur contagiosi. Intuitu tamen lactationis celeberrimo huic viro contradicendum erit, quia experientia edoceimur, multos infantes sine noxa a nutribus, contagio infectis, lactari; talia quoque exempla habent SALMVTHVS obseru. cent. I. obs. 98. SCHENCKIVS obseru. medic. lib. VI. FORESTVS lib. VI. obs. 9. STALPART den WIEL obseru. rar. Cap. I. obs. 99. GARMANNVS de Mirac. Libr. 2. tit. 2. Cur vero contagium infantibus adeo benigne parcat, plurimum sine dubio facit, quia lactis secretio ordinarie ex chylo et non ex sanguine ipso, magis infecto, perpetratur. Suffimenta antiquissimi sunt usus: HIPPOCRATES per

autem perinde est, qualem fumum ventilernus, sed talis desideratur, qui contagio corrigendo sufficit. Quod contagium quia naturam habet salino - alcalino - volatillem §. VIII, nemo dubitabit, sola illa corpora, quae aido gaudent, his suffimigis conducere. Pessime hinc consuluerunt, qui publicis litteris partes animalium, e.g. pennas, pilos, vngula pro suffimigationibus praescripferunt, quia his vaporibus contagii materia salino - alcalina re ipsa augetur y). Ad suffimenta itaque, miasma corre

D 2

rigen-

per illa Graeciam olim a miasmate venenoso feliciter liberavit. Conf. KIRCHER VS in scrutinio Sect. II. cap. VII. Quem autem *fici* vapores, praesertim in calida aestate, offendunt, ille conclave aquis odoriferis aut spiritibus acidis conspargere debet. Huc referendae sunt sic dictae AEOLIPILAE, WINDKUGELN, quae ex aurichalco et cupro confici et in physica experimentali plerumque adhiberi solent, pro nostro autem scopo ex massa figurina vasorum, mediocris magnitudinis, in forma globuli, ventre amplio, collo sat longo et versus orificio angustiore, praeparari et probe exuri possunt. Haec vasorum aceto vel vulgari, vel bezoardico, vel rutaceo, aut etiam aquis congruis et suaveolentis adimplenta superimponuntur igni, donec incalcent, quo facto vapor humidus exortetur et totum habitaculum fumo replet.

y) Foetidorum nauseoforumque fumantium abusum dolet RIVINVS in dissert. de peste Lips. Cap. IV. de praeseruatione pag. 65. Ast quorundam tabaci fumum referam, dubius haeroe: si enim eius indolem chemice considero, ad prae-servandum minime conductus, quia huius herbae combustio vapores alcalicos, contagium augentes, producit; si vero testimonia auditorum audio, valdopere laudibus extollitur, ita experientissimus in morbis contagiosis

DIE-

rigentia, pertinent *primo* acida mineralia pura, *deinde* simplicia saline - acido - inflammabili praedominante preedita, et *denique* subiecta, acido terreo ac austero gaudentia. De aptitudine singulorum ad hoc negotium seorsim disputabo.

## §. XXIX.

*Ex acidis purioribus salia vitrioli et nitri maximo-*  
*pere conuenirent, ad miasma corrigendum; verum*  
*cum hi salium vapores, imprimis concentrati, maiori*  
*paululum quantitate in locis clausis emissi, nonnihil pe-*  
*ctora grauent, liberioremque respirationem infringant,*  
*melius ab illorum fumis abstinemus. Interim circum-*  
*stantiarum omnium ratio hic habenda est: nam in no-*  
*stra civitate, effluvia carbonum fossilium, teste FR. HOFF-*  
*MANNO in program. de vapore carbonum fossilium inno-*  
*xio, virtutem praebent balsamicam, sed in aliis locis,*  
*e. g. Londini, propter certas relationes noxios edere*  
*effectus dicuntur. Ex quibus satis patet, quod haec pu-*  
*riora acida ad aërem quidem liberiorem renouandum*  
*conducant, minus autem in nosocomiis aliquis minori*  
*spatio circumscriptis locis adhiberi possint. Ab acido*  
*vero *salis communis* plane abstinendum est, quia hoc ex*  
*mixtione cum terra ita dicta mercuriali, malignitatem*  
*sanitati noxiā in se recondit.*

## §. XXX.

DIEMERBROEK Lib. II. c. 12. et Lib. IV. hist. VI. in  
 scholio dicit: tabacum pro primario praeservativo semper ha-  
 bui, et re vera tale esse, non sola ratione ductus, sed exper-  
 ientia edocitus, comprei etc. Vberius de hac re agit IOH.  
 K A N O L D im Sendschreiben Breslau 1713. et usum tabaci  
 in efficacia mechanico-organica,eductua et remotiu-  
 a veneni per saliuam consistere docet.

## §. XXX.

Magis accommodata reperiuntur subiecta acidoinflammabilia: quoniam autem aliqua inter illa intercedit differentia, generatim solum eligenda sunt, quae hoc principium purius et magis solitarium continent. Quare licet in usum hic vocari possent radices angelicae, zedoariae, zingiberis, imperatoriae, vincetoxici, carlineae, petasitidis, valerianae, ligna aloes, asphalti eiusdemque commatis plura; haec tamen corpora quia paullum difficulter deflagrant, ideoque maiorem postulant incinerationem, non absque fundamento generatio salis alcalini timenda est. Baccae iuniperi ac lauri, exuberantes partibus resinosis fragrantibus et terreis acidulis, admodum utile suppeditant suffimentum, sed obacriores, quas simul continent particulas, nonnullis veniunt molestiae. Primas itaque deferunt resinis *tam siccis abietis, animae, benzoë, carannae, hederae, ladanii, mastichis, pini, clibani, sandaracae, styracis calamitae, quam liquidis terebinthinae, bals. peruviani, copaiuae, de tolu, de mecca, styracis liquidae:* hae enim non solum largiore acidi vegetabilis quantitatem exhibent, sed facile etiam deflagrant; quare nullum aliud in elezione illarum discriminem, quam pretii et olfactus obseruandum est. Acida *dulcificata* merito quoque ad hanc classem referuntur, dubius autem haereo tam carum suadere fumum: excepto faccharo, quod non raro ac bene eum in finem adhibetur. Omnibus tamen facile palmam praeripit succinum, quippe non solum sale volatili scatet, quod cum alcalinis prompte effervescit, sed gratum quoque spargit fumum: quae vero de illius attractamente vulgo suspiciuntur, illa ab eruditis iam diu inter fabulosa relata sunt.

D 3

## §. XXXI.

## §. XXXI.

Quod ad corpora *acido-auferra*, e. g. radicem acetosae, acetosellae, bistortae, tormentillae, viscum querenum, cortices granatorum, castaneorum attinet, illa tantummodo in defectu acidorum inflammabilium substituenda esse iudico: minus enim ad deflagrationem idonea sunt, et insuper vi sua stringente nonnulla incommoda procreant. Denique ex *compositis* et in officinis iam prostantibus scopo praesenti conducunt pulueres pro scopo communis, contra defluxiones, optimus dictus, contra pestem et flores sulphuris myrrhati; conf. dispensatorium Borusso-Brandenburgicum.

## §. XXXII.

Tandem etiam *amuletorum & masticationum* mentionem facere debo, ne frenuo multorum iudicio me exponam. *Amuleta* enim praeter epilepsiam, potissimum morbis contagiosis dicata leguntur; qua tamen occasione ab omnibus amuletis, sigillis, characteribus et signis repletis abhorreo; tardioris etiam sum fidei in tribuenda aliqua efficacia lignis, radicibus et lapidibus, collo appensis, quia horum modum operandi non videmus: verum si amuletum vi naturali explicabili gaudet, tunc ei virtutem minime denegare possumus. Idcirco camphora haberi potest aptissimum pro amuletis subiectum: nam hoc singulare corpus inflammabile non solum sua sponte in auras dissipatur, sed etiam sale acido volatili, sub olei tegmine latente, constat, quod et generatio illius vegetabilis, et artificialis camphorae ex oleis destillatis productio docet. Neque *masticationes* ad praeferendum reiicio, modo semper congrua, nempe acida subiecta sint masticanda. IO. LINDESTOLPE in libro de

*de Venenis pag. 298.* hortatur medicos, in morbis contagiosis curandis occupatos, vt saliuam non deglutiant, cum qua infectus aër mixtus fuerit, sed potius iuniperum, fructulum citri, offam panis aceto madefactam, aut alia vegetabilium acida ore detineant, quibus aëris impuritates retundantur. Alii cum DOBRZENSKY *in praeseruatio vniuersali pag. 30.* commendant, vt nares quoque tali illinantur subiecto, quo miasma, per eas transiitrum, immutetur.

## SECTIO III.

DE

MEDIIS ACTIONEM CONTAGII' EPI-  
DEMICI IN CORPORE PROHIBENTIBVS.

## §. XXXIII.

**I**n confesso est, quod sollicita licet praeseruatio adhibetur, nihilominus subtilissimum miasma plura corpora ingrediatur; quare eo agendum, vt illius in corpore actionem, quantum fieri potest, impediamus. Non autem nisi ad morbum dispositis nocet subiectis, minus saniora laedens. Et quamquam pura subiecta interdum ingreditur, tamen illis manet contagium quoque purum, quia nullam inuenit receptionem sui. Itaque, si illud a nobis auertere cupimus, quo minus corpori nostro inhaereat, eo allaborandum est, vt sanitati generatim studeamus, ne collecta aliqua morbi materia, fomitem suscipiendi contagii exhibeantur. Sed neminem fore puto, qui hinc inde singulas ad sanitatem ob-

tinent-

tinendam a me desiderabit regulas; sufficiet potius demonstrare, quales corporis conditiones morboſae praealiis ad alendum miasma faueant, et quibus mediis diaeticis et pharmaceuticis eas fugere valeamus.

## §. XXXIV.

*Primum vitia primarum viarum sedulo sunt evitan-*  
*da:* nam sicuti contagium saepius cum alimentis cor-  
 pus intrat, ita non raro etiam paratam in ventriculo  
 inuenit materiam ad motum putredinosum inchoandum.  
 Est vero cruditas secundum BOERHAAVIVM in *insti-*  
*tution. medic. edit. 3. §. 759.* admodum diuersa, nempe  
 acida, aromatica, spirituosa, fermentans, rancida, muria-  
 tica, nidorosa, exulta, alcalica, biliosa et putrida: ex qui-  
 bus ultimae tres potissimum ad propagandum miasma  
 conducunt. Cuiuscunque enim indolis in statu naturali  
 bilis sit, absque tamen dubio constat, quod cum fermentabilibus acrimoniam cauſticam et volatilem produ-  
 cere soleat. De alcalica et putredinosa cruditate supra  
 dictum est, quod propria fit materia ad generationem  
 miasmatis conducens, ergo tanto magis illius in corpore  
 actionem promouebit. Hoc augmentum febris conta-  
 gioſae ex impuritatibus primarum viarum adeo fre-  
 quenter est obſeruatum, vt nonnulli Medici ſedem con-  
 tagii primariam in illis quaerant z) et omnem mede-  
 lam

- z) Multis quoque imposuit anatomia febribus contagiosis peremptorum, qua ventriculum cum intestinis corruptum et sphacelosum deprehenderunt. Sed fateri conuenit, saepius hic esse fallaciam cauſiae non cauſiae; quemadmodum D.N. PRAESES in *Diss. de motum antipraxia in morbis malignis et cet. anno 1755. edit.* optime monet, in-  
 qui-

lam ad hoc indicans formauerint. Quos quidem non imitari, maximopere tamen ventriculum ab impuritatibus purum conseruare conueniet.

§. XXXV.

Quem in finem tam *quantitas* quam *qualitas* vi-  
ctus assumendi obseruanda est. Nimia enim quantitas chymificationem turbat, puriorisque chyli elaborationem impedit; qualis autem chylus, talis sanguis. Ieiuni contra, cum vacuo corpore plus hauriunt, quam emitunt, contagio magis expositi videntur. Ea igitur in cibo potuque mediocritas tenenda est, ut neque maior alimenti copia, qua morbo fomes subministratur, quam ventriculus concoquere valet, ingeratur, neque contra nimia abstinentia partes ea proportione defraudentur, qua earundem robur ac vigor debuerat sustineri, et hac ratione magis debilitentur. Quamquam vero deprauata alimentorum qualitas omni studio fugienda est, scrupulosam tamen diaetam minime commendare decet: quare paucissimas tantummodo illas regulas, quae in ordinaria diaeta praescribuntur, et praecipue in hoc casu obseruandae veniunt, in memoriam reuocare sufficiet.

- 1) Per se patet, omnia dyspepta alimenta esse remouenda.
- 2) Nutritio maxime ex vegetabilibus fieri debet, quia animalia coiecta facilius putredinosam exhibent faburram.
- 3) Interim tamen ex vegetabilibus quoque euitanda sunt subiecta alcalescentia e. g. allium, cepae, ra-

E pha-

quiens: contingit, ut halitusum miasma per motuum antipraxiam ad intestina conuersum, ibi collectum et depositum per infelices diarrhoeas minus excretum, ita ventriculum afficiat, ut inducto per inflammationem non discussam sphacelo, nigra post mortem appareat interna eiusdem superficies. In quo cau- inter morbi primarii sedem et mortis caussam proximam distingendum erit.

phanus, sinapi, armoracia; nam ut BOERHAAVIUS in aphor. de cogn. et cur morb. §. 76. monet, nonnullae plantae scatent materia, quae sponte corrupta non acescit, nec coit, sed resoluitur in foetidum pingue alcali: tales sunt omnes fere aromaticae valde acres. 4) Quaevis alimenta, quae aciditate gaudent, aliis praferenda, quae vero illa carent, cum acido salino, praecipue succo citri, largiter condienda sunt; acidorum enim usus dat chylum magis firmiter mixtum, ideoque ad putredinem non adeo procluem. 5) Pro potu ordinario commendando cereuisiam, cum herbis stomachicis amaris bene coctam; quia haec aqua melius humoribus nostris assimilatur; praeterea modicum boni vini rhenani vel mosellani usum; abusus autem spirituorum, quem multi ad praecaendum committunt, sanitati ominosus est, nimium enim auget motum intestinum, ideoque sanguinem plus iusto expandit et vasa distendendo debilitat atque robur vitale successiue sufflaminat. Interim, praeter mediocritatem in alimentis assumentis omnibus obseruandam, reliquas regulas tantummodo debilioribus praescribo, nam qui sufficiente vi concoctrice gaudent, etiam si saepius contra das regulas peccent, difficulter tam cruditates colligunt. Dum vero, rigorosa etiam diaeta obseruata, in nonnullis subiectis nihilo secius fieri soleat, ut vitium primarum viarum ex laesa chymificatione incurant, illis omnino blandum ac moderatum catharticum a), cum tonico subiuncto, quoquis septenario propinan-

a) Alii hoc respectu vomitoria libentius eligunt; sicuti in dissert. D. IO. ANDR. WILHELM. BÜCHNERI de emeticor. in medicina castrens. usu, uberior legitur: neque in subiectis euemetis, sufficientibus viribus praeditis, incongruum erit.

nandum erit. Cuilibet autem cruditati accommodatam esse sequentem formulam iudico: recipe gumm. ammoniac. acet. scillit. solut. ac inspiss. drachmam dimidiā, rad. gent. rubr. liquor. terrae fol. tartari solut. et extract. rhabarb. ana scrupulum vnum, salis succini grana sex, limat. martis ppt. scrupulum dimidium. M. f. pil. ad pond. gr. 1. dos. XV. quibus autem haec compositio nimis cara venit, illi pilul. de succino Cratonis ad gr. XVIII. pro dosi sumere possunt.

§. XXXVI.

*Alterum momentum erit, ut sanguinis tam abundantia, quam spissitudo quoouis modo fugiatur.* Quia vtrumque actionem contagii in massa humorum admodum promouet. Nam non solum a posteriori testatur experientia, quod subiecta plethorica et spissitudine laborantia aegrius ex morbis epidemicis emergant, sed a priori etiam sine difficultate demonstrari potest, quantum hae morbosae corporis conditiones ad fouendum miasma valeant. Impediunt nempe contagii excretionem et promouent motum intestinum humorum irregularē. Nam plethora spissa iusto tardiorem cordis et arteriarum systolen indiuulsum habet comitem (per princip. pathol.) quo defectu praesente massa sanguinea solito minore celeritate mouetur. Quo tardius autem massa circumagit, eo parciōr quantitas humorum ad vasā exhalantia accedit. Porro si humor pigre ad vasā ferosa mouetur, perspiratio insensibilis ex parte sufflamatur; qua impedita miasma difficulter expellitur. Praeterea sub pigro motu humorum progressiō crescit quoque vis motus intestini b) ideoque magis fit sui iuris;

E 2 et

b) Hic loquor de motu intestino humorū proprio, sensu chemico considerando; alias me non fugit, quo respectu in

et sic augetur humorum resolutio destructoria, auctaque intestina diacrisi subito ruunt in corruptionem: miasma vero fermentescens putrefactuum facilius se propagat per humores motu intestino nimio gaudentes (princ. chymic.) ergo aucto per plethoram spissam massae motu intestino, augetur contagii in humores actio. Quas assertiones variis symptomatis, in ipsis febribus epidemicis obuiis, corroborare quidem possem, sed mei instituti ratio non permittit, in has illustrationes excurrere.

§. XXXVII.

Sit itaque curae cordique omnibus infectionem epidemicam metuentibus, *ut plethorae spissae opponant conuenientia media*. Maximum vero praefidium ad eam imminuendam et attenuandam in diaeta positum esse saepius iam dictum est; aeger nimirum a larga ciborum ingestione abstineat, potum sufficientem dilutum assumat, et praecipue moderatum ac quotidianum corporis motum quam commendatissimum sibi habeat; sed quia multis in hoc munere exercendo multa obiiciuntur offendicula, aliam licet multo imperfetiorem, viam eligere debent. Venaesectiones nempe largiores in pedibus, coniunctis optimis resoluentibus, tam diu erunt repetenda, donec abundantia ex signis imminuta apparet et sanguis fluxilis ac floridus ex vena prodeat. Sic sat cito quidem haec medela obtinetur, et venaesectione frequentior consideranda est tamquam egregium remedium prophylacticum; quoniam autem quotidie non dissipantur illa, quae in otio retinentur, solis sanguinis missionibus status plenitudinis non impeditur c).

Fir-

in physiologicis merito affirmetur, quod intestinus motus cum progressio simul augeatur et imminuatur.

c) Serio hanc cautelam inculcat Perillustr. van swieten

in

Firmando potius sunt solida per motum voluntarium, vt liquidis impletibus difficulter cedant. Caeteroquin *haemorrhagiae naturales* omni studio ad eundem immunitationis finem promouenda sunt.

## §. XXXVIII.

*Terio loco puritas sanguinis et praeципue lymphae ab omnibus particulis heterogeneis sedulo quaerenda est: praesente enim cacochymia contagium facillimum inuenit ingressum, quia non solum particulae deprauatae ad vberiorem corruptionem aptissimae sunt, sed etiam motus intestinus praeternaturalis iam inchoatus est, qui deinde per miasma fermentescens facile in plene destruenter abit, et massam sanguinis in alcalinam plane praeternaturalem d) corruptionem deducit. Quod tam de cacochymia vniuersali, quam de deprauatione humorum separatorum, imprimis lymphae intelligendum est. Fit quoque inde vt ambientibus febribus epidemicis plerique aegrotantium febribus compositis laborent, dum miasma potissimum in illis subiectis actionem suam exserit, in quibus iam cumulus impuritatum seu qualisque materialis dispositio ad febrem continuam spo-*

E 3 radi-

*in commentario in aphor. Boerbauii pag. 158. inquiens: sanguinis missio nimiam quidem copiam minuit, corpus tamen plus disponit ad nouam plethoram generandam; hinc requiritur vt corpus sic firmetur, vt non tam facile boni sanguinis copiam accumulet. Fit hoc imprimis labore.*

d) In talem corruptionem humores sibi relictos nunquam abire, testatur Perilliustr. van SWIETEN l. c. pag. 130. dicens: *quam diu per vase humores nostri mouentur, vix possibile videtur, vt putrefcant penitus et alcalinam naturam induant; tenerrima enim vase tales humores ferre non possint sine destructione.*

radicam praesto fuit e). Ex eodem fundamento obseruatur, quod omnes venerei, in febres epidemicas incidentes, iisdem perierint, quia lympha in illis valdopere conspurcata deprehenditur.

§. XXXIX.

*Ad massum vero sanguineam ab his partibus heterogeneis liberam seruandam, nullum datur remedium perfectius SVDORE.* Nihil hinc exoptatius ad praeseruationem a morbis epidemicis excogitari potest, quam supra laudata quotidiana corporis sub labore per sudorem purgatio. Comprobat hoc assertum obseruatio clinica, quod homines laboriosi multo rarius morbis epidemicis, quam sedentarii afficiantur et infecti quoque feliciter plerumque emergant; nisi incongrua, ut saepius fit, medicatio totum turbet morbum. Quia autem non pauci hanc viam intrare recusant, illis nihil magis restat, quam *artificialis sudor* mane in lecto instituendus. Ast iustus modus, iuxta quem sudor talis praeseruatorius excitari debet, erit obseruandus, alias plus damni, quam emolumenti reportatur. Requiritur nimirum ad diaphoresin circulus sanguinis auctior et peripheriae relaxatio. Ad vtrumque finem optime conducunt infusa theiformia ex radicibus imperator. vincetox. scorzoner. angelic. herbis, betonic. meliss. rorismar. basilic. thym. maioran. et floribus calend. borrag. bugloss. Concis et contus. Haec enim non solum per calorem et principia salino-sulphurea circulum humorum paullulum augent, sed quoque humores fluidiores et ad subtiliores tubulos subeundos aptiores reddunt, simulque spasmos et stricturas cutis relaxant. Quibus autem vitae ratio ysum infuso-

c) Conf. FRID. HOFFMANNVS *fundament. pathol. general. Sect. III. cap. VIII. §. 30. et Sect. II. cap. III. §. 14.*

fusorum prohibet, illis vel essentiam scordii, vel essentiam alexipharm. STAHLII, vel mixturam simplicem rite praeparatam f) propinare et frictiones leuiores saepius instituere conueniet.

#### §. XXXX.

*Quarta indicatio contagii noxam impedire studet, per viscerum tonicam roborationem.* Agit quidem miasma solum in partes fluidas, nihilo tamen minus robur et motus partium solidarum determinat motum circulatorium et secretorium fluidarum, adeo, ut nihil conuenientius sit ad actionem miasmatis intestinam infringendam et illius expulsionem ad peripheriam promouendam, quam fortior viscerum tonus. Quamquam vero haec indicatio facile intelligatur, perquam tamen difficulter impletur; nam longior roborantium usus requiritur, donec tonus in visceribus restauratur; id quod in hypochondriacis praecipue obseruamus. Plurima autem roborantia, quia calida sunt, debilioribus, vtpote veris atoniae subiectis, minus conducunt. Efficacissima salia volatilia, quan-

do

f) Melius mixtura simplex, secundum inuentoris PARACELSI praecriptionem, cum spiritu vitrioli volatili huius auctoris, optime vero cum spiritu vitrioli volatili STAHLII componitur, cuius effectum IO. DAN. GOH-LIVS in historia pestis pag. 29. ita laudat: *praeparauit mixturam simplicem cum spiritu volatili vitrioli Stahli et admodum temperatum obtinui remedium, quod sine commotione notabili sat valide sudorem promovet.* Saluberrimus blandae diaphoreseos modus hic frequentius negligitur, potiusque essentis concentratis, larga dosi exhibitis, vel tinturis calidis sic dictis bezoardicis, vel theriaca ac mithridatio, aut pipere, zingibere cum spiritu vini propriatis, coactum sic largum sudorem in finem prophylacticum propellere solent, qui vero magis ad generationem impuritatum corpus disponit.

## 40 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA CET.

do cum tinctura alcalina fixa aequali pondere miscentur et pauciores propinuantur, minorem feruorem producunt et tamen satis valide roborant. Gratiore autem et simul temperatiora praeparantur tonica, quando olea destillata e. g. vini, cinnamomi, macis, caryophyllorum, cum saccharo aquis destillatis miscentur. *Essentia dulcis halensis* praecipuum hic locum obtinet, quia insignem facultatem tonicam gratissimo sapore praebet. Ad hunc scopum etiam adhibentur medicamenta ex *marte* confecta, quae in mediocri quantitate operantur et nullam excitant commotionem, sed motu corporis subiuncto virtus eorum intendenda est, et ut eo melius ad viscera penetrare valeant, iusta liquidorum copia diluenda sunt. *Commodissimi* hinc vius deprehenduntur tincturae vitrioli martis *LVDOVICI* aut *ZWELFERI*, martis cydoniata, pomata, helleborata. Ast haec tonica per aliquot tempus continuari debent, si sperandum effectum obtinere cupimus.

## §. XXXVI.

*Quinto* denique praeservandi scopo omne triste animae pathema, et imprimis consuetum contagii metum, suppressare debemus. Vix enim creditur quo gradu tristes anini affectus morum cordis et inde dependentes naturales actiones sufflaminent; unde fermentum contagiosum vires suas magis magisque exercere et totam massam corrumpere potest. Dolenda est haec misera hominum conditio, qua semper a malis metuens tristes consumit dies, sed opus foret nunquam perficiendum, si omnem ex animis eximendum timorem a mortalibus postularemus. Tandem quia plures circa periculum contagii dantur errores, quorum detectio metui multum detrahit, conferre suadeo dissertationem D.N. PRAESIDIS de vano ac vero a morborum contagio metu, praeterito anno defensam, in qua omnia hie dicenda leguntur. Haec sufficient, ut per vires humanas a contagio corpus nostrum defendere possimus: summo autem vitae nostrae

AVCTORI ET CONSERVATORI, quolibet casu et periculo, summa debetur facultas et gloria defensionis.

## ERRATA.

Pag. 11. lin. 6. censeo. p. 14. l. 6. quaevis. p. 16. l. 9. illud l. 14. millenae. l. 17. exponuntur. p. 25. l. 21. his consiliis. p. 29. l. penult. suspicantur.

PRAE-

PRAECLARO ET EGREGIE DOCTO  
**DOMINO CANDIDATO**  
IOANNI WILHELMO VRSINO  
OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM  
I O. I V N C K E R.

**C**onsueto quidem more Praesidem ad dissertationis defensionem Tibi, **CANDIDATE** doctissime, elegisti: sed ominor, adiutorem istum parum fore necessarium: saepius enim Tuam disputandi dexteritatem publice laetus audiui, et, quod maioris Tibi laudis est, in curandis febris suis malignis, de quibus disputas, diu adiutor fuisti illius, quem Tu hodie adiutorem desideras, et sic ordine quasi inuerso procedere videaris. Mittimus autem minimas has considerationes et longe altiores perpendimus atque veneramur. Orphanus, qui patre caruit, a iuuentute fuisti, et ne minimam quidem facultatem, quae ad educationem et studia requiritur, natus es: nihilo tamen minus diuina clementia variis mirificisque modis adeo paternae Tibi prospexit, ut hodie gratissimo in Deum animo SAMVÉLIS verba, *buc usque*, pronunciare possis. Preme **CANDIDATE** per dilectione et imprime porro menti **TVAE** vestigia hæc paterna: sic, vt nosti, ex omni parte eris beatus. Faxis summum Numen, vt industria Tua et probitate iis, qui Tuo consilio vtruntur, praefidium et fructum adferre queas!

Vale d. d. XXVII, Sept. M D CC LVIII.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
O C A N D I D A T O  
IOANNI GUILIELMO VRSINO

S. E. O.  
IOANNES IOACHIMVS LANGE

MATH. PROE. PYBL. ORD.

**Q**uem ab infancia dilexi, cui testis dum sacro baptismo  
abluereris adfui, cuius beato parenti, collegae dum viue-  
ret coniunctissimi, amicissimus fui, cuius res post illius  
obitum quantum in me fuit curaui, quem semper filii loco habui,  
illi hodie eo maiori iure et alacritate gratulor, quo propius mihi,  
praeter haec omnia ea in Te intueri mihi licuit, quae si illa  
omnia non adfuissent, animum meum Tibi reddidissent maxime  
fauentem atque propensissimum. Ultra viginti anni sunt, ex qui-  
bus Te noui bonis consiliis et admonitionibus obsequenter, ad  
nutum diuinum attendenter, in moribus honestum, modestum,  
suaevem, candidum, in studiis diligentem, aduersitates erecto ani-  
mo fortiter et patienter ferentem. Hinc non meam solum, sed  
et aliorum patronorum Tibi conciliasti benevolentiam, et in pri-  
mis *Inckerianae* domus, per quam et in qua summum Numen  
ea in Te contulit beneficia, sub quorum recto yfu ad medicinam  
faciendam ita praeparatus es, vt nunc Doctoris gradu ornatus  
praxi medicae ipse praefte queas, quam per aliquot annos sub  
praeceptorum Tuorum manuductione non sine laude praeferisti  
maxima cum promptitudine et sinceritate in pauperrimis et cum  
foedo squalore decumbentibus exercuisti. Gratulor Tibi ex  
animo horum omnium caufa, simulque publice gratum animum  
erga Te meum testor ob indefessam curam valetudinis meae  
meorumque feliciter gescam, simulque laetus et venerabundus  
admiror prouidentiam, quae Tibi per septennium academicum ma-  
nu sua dueto, nunc hoc curriculo finito, viam qua incedendum  
Tibi erit ostendit, de qua ne cogitare poteramus. Huic prouin-  
tiae fidens Deo et hominibus fidelis omnes res Tuas feliciter  
ages. Vale. Dabam in Regia Fridericana die XXVIII. Septem-  
bris MDCCLVIII.

DIGNIS-

DIGNISSIMO DOCTORIS GRADV  
**C A N D I D A T O**

S. D. P.  
**F. C. I V N C K E R**

PHIL. AC MEDIC. DOCTOR, EIVSDEM PROF. PVBL. ORPHEA.  
NOTROPHEI HALENS. MEDIC. ADIVNCT.

**E**n gratulationem verbis paruam, laude magnam, veritatis filiam, non absque validis argumentis postulatam. Postulat eam coniundissima nostra amicitia, quae Te sincerum pronunciat. Postulat deinde septem annorum labor academicus, quo non solum egregiam theoriam, sed habitum quoque practicum Tibi acquisiuisti. Postulat porro fidelitas tam in visitandis aegrotantibus obseruata, quam dextra a Te praestita curatio manualis plurium casuum chirurgicorum. Postulat postea studium chemicum, multis fudoriferis experimentis confirmatum, et anatomicum, frigida tempestate exercitatum; ut iure merito de Te dici possit: fudauit et alsit. Postulant denique hocce testimonium aliae laudabiles, quae Te ornant virtutes. Haec fuit Tua seges, nunc adpropinquat messis, quam felicem Tibi, clarissime **C A N D I D A T E**, opto et auguror. Ceterum do dextram meam pro signo amicitiae, nulla fortuna mutandae. Tu par pari vt referas, curabis. Vale. Dabam in Fridericiana Halensi die XXX. Septembr. M D CC LVIII.

---

**T**andem laeta dies, niveo numeranda lapillo  
Aduenit, atque **TIBI** nil nisi fausta canit,  
Qua **TE** conspicio redimitum tempora lauro,  
Quam **TIBI** iam dudum carpsit Hygea manu.  
Maxima, crede mihi, pertinant gaudia mentem,  
Cum **TV** doctrinae praemia larga refers.  
Quid iamiam superesse potest, quam vota precesque?  
O penitus toto corde recepte mihi.  
Sit **TIBI** faustus honos! succedant omnia votis!  
Atque **TVIS** coepitis annuat ipse Deus!

Sic



Sic felix perstet morbi **TVA** fama maligni!  
Sic aegris veniat, **TE** veniente, salus.  
Postremo, Pylades, quamquam diuelleris a me  
Sub nostro haeredit pectore fixus amor.

*Hoc monumentum amicitiae, Viro honorum  
doctorium dignissimo posuit.*

F. G. SCHIFFEL  
Halensis Med. Doctorand.

---

**G**reund! erheite Deine Blicke,  
Dieser Tag muß festlich sein,  
Denn Dich führen Fleiß und Glücke  
Zu dem Ehren Tempel ein.  
Lege frei des wissens Probe  
Von dem Gifft ab, der da schleicht,  
Damit nicht mit falschem Lobe  
Dir den Cranz Hygea reicht.

**G**ründlich auf ein gut Gewissen  
Lernt ein Weiser seine Kunst,  
Und sein Wandel ist gesessen  
Dass er sucht der Vorsicht Gunst.  
So, so kan er sich versprechen,  
Was längst die Erfahrung lehrt,  
Dass nie Ruhm und Glück gebrechen  
Dem der so die Pflichten ehrt.

Zum Zeichen seiner aufrichtigen Freundschaft und beständigen Andenken, seget diese wenige Zeilen.

H. C. R.








Halle, Med. Diss. 1744-59  
VD 18



T430C

Rehd.





22

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS M<sup>E</sup>DICA  
DE  
**MEDIIS**  
**CONTAGII EPIDEMICI**  
**ORTVM, COMMVNICATIONEM**  
ET  
**ACTIONEM IN CORPVS PROHIBENTIBVS**

QVAM  
SVB AVSPICIS SVMMI NVMINIS  
CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE MEDICA  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
**DN. IOANNE IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESS. PVBL.  
ORDINAR. FACVLT. MEDIC. SENIORE  
ALVMNOR. REGIOR. EPHORO PRACTICO ORPHANOTROPHEI  
HALENSIS FELICISSIMO

PATRONO AD CINERES VSQVE PIE DEVENERANDO  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
OMNIBVSQVE IN MEDICINA PRIVILEGIIS LEGITIME OBTINENDIS

AD D. V. OCTOB<sup>R</sup>IS ANNO MDCCCLVIII.

H. L. Q. C.

PLACIDO EXAMINI SVEMITTIT

**IOANNES WILHELMVS VRSINV<sup>S</sup>**  
HALENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS HILLIGERIANIS.